



# Dissertatio antiquario juridica inauguralis de nundinis

<https://hdl.handle.net/1874/295260>

DISSERTATIO ANTIQUARIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

NUNDINIS.

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

*Ex Auctoritate* MAGNIFICI RECTORIS

ALEXANDRIPETRINAHUYS,

A. L. M. Phil. & Med. Doct. Medicinæ, Botanices, Chemiæ & Physiologiæ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi* SENATUS ACADEMICI *consensu*, et *Nobilissimæ* FACULTATIS JURIDICAE *decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus, ac Privilegiis rite ac legitime consequendis,

*Placido Eruditorum Examine* Submittit

FRANCISCUS ROOSEN,

AMISFURTO - TRAJECTINUS.



*Ad diem* XVI. Januarii MDCCCLXXXI. H. L. Q. S.



TRAJECTI AD RHENUM,

*Ex officina* ABRAHAMI VAN PADDENBURG,

ACADEMIAE TYPOGRAPHI, MDCCCLXXXI.



DISSERTATIO ANTIQVARIQ IN  
RBDICA INAVGVRALLS

D E

N U N D I N I S

D U A N

ANNVENTE SUMMO NUMINE

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris

ALEXANDRI PETRI NAHUY

A. J. M. Phil. & Med. Doct. Medicinæ, Botanice,  
Chemiæ & Physiologiæ Professoris Ordinarii

IN EC NON

Ab illis in Senatus Academiæ consensu, et  
Nominibus Facultatis Juridicæ decretis

THO GRADU DOCTORATUS

Summiusque in UTROQUE JURE Honoribus, ac  
Privilegiis suis ac legitimis consequendis

Facultate Publicam Examinis Submissis

FRANCISCVS ROSSER

AMSTVDTO - TRALICTINA

EXCVPTESSIMO SVPREMO SENATU ACADEMIÆ

Ab illis in Senatus Academiæ consensu, et

Nominibus Facultatis Juridicæ decretis

THO GRADU DOCTORATUS

Summiusque in UTROQUE JURE Honoribus, ac

Privilegiis suis ac legitimis consequendis



AGNATIS  
COGNATIS  
PRAECEPTORIBUS,  
PATRONIS  
ATQUE  
AMICIS  
S.



AGNATIS

COGNATIS

PRAECEPTORIBUS.


PATRONS

ATQUE

AMICIS

2.





DISSERTATIO ANTIQUARIO JU-  
RIDICA INAUGURALIS

D E

N U N D I N I S.



§. I.



uemadmodum veteres, eruditionis glo-  
riâ, conspicui viri, in conscribendâ ma-  
teriâ, summâ ope nitebantur, ut de ipsâ  
origine *vocis*, quam pertractare deside-  
rabant, pauca in medium proferrent, &  
veram, quantum in illis erat, *vocis* significationem prae-  
mitterent; non abs re etiam alienum fore duxi, illorum

A

lau-



## 2 DISSERTATIO ANTIQUARIO JURIDICA

laudabilium virorum premere vestigia, quare prius, quam materiam ipsam adgrediar, demonstrare, quantum & in me erit, conabor, unde *nundinarum* vox descendat.

Neminem fore arbitror, qui ignorat, *Nundinam* apud Romanos *Deam* fuisse cultam, a *die nono* dictam, quo infantes lustrabant, iisque nomina imponebant, quanquam autem *octavo die* puellis, pueris vero *nono* id fieri consueverit, videatur Onuphr. Panvin. in lib. de nom. Rom. & sic Sextus Pompejus, *Lustrici*, inquit, *dies infantium* appellantur, *puellarum octavus, puerorum nonus, quia bis lustrantur, atque eis nomina imponuntur.* Vidd. porro, quae de *Dea Nundina*, atque diebus *lustricis* memoriae prodiderunt Rosinus *Antiq. Rom. l. II. Cap. 19.*, Plutarchus in *Quaest. Rom. Quaest. 100.* alique (\*). *Nundinae* vero, nisi potius *nondinae*, quasi  
NOVEM.

---

(\*) De supersticiosa religione, quae olim (cum infantibus nomen imponeretur) plerumque observabatur, nobis testimonio sit Auctor quidam, cujus verba haec sunt: *Moris*, inquit, fuisse apud nonnullos, qui pro Christianis haberi volebant, ut infanti nomen imposituri, lumina multa accenderent, suum cuique nomen assignantes: Puta uni lumini *Zosimi* appellationem indebant, alteri *Stephani*, tertio *Procopii*, & ita in caeteris, atque ejus demum, quod caeteris supervixerat, nomen amplectebantur, & puero imponebant.



*novemdinæ* (a *novem* & *dies* ita dictæ) erant pagano-  
rum i. e. rusticorum hominum feriae, quibus nono quo-  
que die, emendi vendendique causâ, Romam con-  
venire solebant; & hae quoque singulis *nonis* diebus  
fiebant, quare Ovidius *I. fast. vs. 54.* cantat:

*Est quoque qui nono semper ab orbe redit.*

Nono autem die rustici, relicti agris, in urbem conve-  
niebant mercium, iudicii, legumque causâ, vidd. Dion.  
Halicarn. *Lib. VII. p. 463.* Varro *Lib. II de re rust.*  
*in praef.* & Auctor Moreti, qui de rustico canit:

————— *Nonisque diebus*  
*Venales olerum fascēs portabat in urbem.*

Unde vero initium numerandi hunc *nonum* diem sit  
ducendum, altum est apud veteres silentium. Sam.  
Petitus *de anno & periodo Vett. Rom. Cap. 2.* memorat,  
quod mensis Martius apud Romanos anni caput fuerit,  
a cuius mensis novâ lunâ *nundinas* numerare incipie-  
bant, easque (toto vertente anno) ad nonam rursus lu-  
nam mensis Martii, anni scil. sequentis, observabant.



#### 4 DISSERTATIO ANTIQUARIO JURIDICA

##### §. I I I.

Quo tempore institutae fuerint *Nundinae*, vel a quo originem suam traxerint, permulti (adhucdum) inter se certant, atque contendunt: Sunt, qui putant, *Romulum* (suo jam tempore) instituisse *nundinas* inter quos: *Macrobius*, qui *l. 1. Saturn. Cap. 16.* his sequentibus utitur: *Nundinarum originem quidam ROMULO assignant, quem, communicato cum T. Tatius regno, sacrificiis & sodalitatibus institutis, NUNDINAS adjecisse commenarant.* Alii *servium Tullium* harum institutorem fuisse defendere conantur, veluti idem *Macrobius loco laud.*, cum ait, *sed Cassius servium Tullium fecisse nundinas dicit, ut in urbem ex agris convenirent urbanas rusticasque res ordinaturi.* Hinc etiam e *Gemino & Varro* additum legimus, *diem nundinarum, exactis jam Regibus, coepisse celebrari, quia plerique de plebe, repetitâ servii Tullii memoriâ, parentarunt ei in nundinis.* Enimvero, licet *plebs*, pulso Rege *Tarquinio superbo*, *Servio Tullio* in *nundinis*, quasi illas ipse instituisset, parentasse dicatur, tamen verosimilior videtur sententia illorum, qui *harum* originem *Romulo* adsignant,



nant, qui, cum annum in novâ urbe ordinaret tunc temporis *nundinas* jam instituisse videtur; hanc sententiam etiam amplexus est Dionys. Halicarn. l. II. de Romulo, cum inquit ἐννάτην ὁρίζων ἡμέραν ταῖς ἀγοραῖς *nonum diem nundinis adsignans*. Haec autem, quae in medium produxerimus, (quantum ad originem vocis attinet) sufficere videntur; ordo itaque rerum jam flagitat, ut, quomodo definiantur *nundinae*, sequenti paragrapho videamus.

§. I V.

*Nundinae*, si recte definiamus, hic sunt *mercatus*, qui certis stasisque temporibus habentur in locis, quibus eos habendi jus, vel longâ consuetudine, vel Principis beneficio concessum est. Licet *nundinae* hic definiantur *mercatus*, non tamen ita accipiendum est, ac si *omnis mercatus* esset *nundinalis* (*mercatus* enim non sunt *nundinae*, licet hae saepe *mercatus* vocentur) verum *nundinae* a *mercatus* expresse distinguuntur, ac plerumque definiuntur *stati dies*, *certis in locis*, *certisque in civitatibus*, *mercandi causa libere concessi*, a Principe cum *immunitate vectigalium impetrati* sec. leg. unicam Cod. de



## 6 DISSERTATIO ANTIQUARIO JURIDICA

*nund. & mercat.* Mercatus autem solummodo sunt loci & dies rebus vendendis destinati: sic *nundinae* saepe vocantur forum generale, mercatus vero venale; hinc *nundinari* est *mercari*, sive emas, sive vendas, non vero *mercari* idem est ac *nundinari*.

Graeci *nundinas* recte interpretabantur per *ἀγοράς* sicuti Plutarch. in *vita Coriolani* p. 222. quae *ἀγορά* a verbo *ἀγείω* congrego dictae videntur, eo quod homines ad emendum vendendumve conveniebant & congregabantur: Sic etiam plerumque *πανήγυειν* appellare solebant; *πανήγυειν* enim est quasi confluxus hominum & frequentia, vidd. porro, quae habet Calvinus in *lexico suo Jurid.* in voce *nundinae*.

### §. V.

Duplex datur *nundinarum* genus *majorum* scil. & *minorum*; *maiores* sunt, quae *semel*, *bis*, vel (quod modum excedit) *ter* quotannis celebrabantur, quaeque etiam non, nisi per specialia Principum privilegia, agebantur: Per *minores* intelligo eas, quae a quolibet etiam magistratu indici poterant, atque *nono quovis die* redibant  
secun.



secundum Ovidii locum supra (§. II.) citat. lib. I. fast.  
vs. 54.

Licet *nundinae illae minores* singulis nonis diebus redire dicantur, tamen, utrum *septem*, an *octo* (inter utrumque *diem nundinalem*) intercederent dies, non conveniunt inter se erudiri.

*Octo* statuit Macrobius, qui lib. I. Saturn. Cap. 16. sententiae suae testem allegat Rutilium, de quo sic ait, *Rutilius scribit, Romanos instituisse Nundinas, ut octo quidem diebus in agris rustici opus facerent, nono autem die, intermisso jure, ad mercatum, legesque accipiendas Romam venirent &c.*, quam sententiam amplexi etiam sunt multi alii viri, (haud exigua eruditione insignes) qui Rutilium & Macrobius praecedentes, hac in re (licet male) secuti esse videntur.

Inter eos, qui *septem* ponunt, principem locum occupare meretur Varro, qui Lib. II. de re rust. in praef. sic ait *viri magni, nostri majores annum ita dividerunt, ut nonis modo diebus urbanas res usurparent, reliquis septem, ut rura colerent; quod dum servaverunt institutum, utrumque sunt consecuti, ut & cultura agros fecundissimos haberent, & ipsi valetudine firmiores essent.* quod ita quidem intelligendum videtur, ut a *nundinis* ad *nundinas novem* essent dies, *diversi octo, intermedii*  
sep.



## 8 DISSERTATIO ANTIQUARIO JURIDICA

*septem*, idque etiam evidenter adparebit, si modo inspiciamus Kalendaria antiqua (marmoribus insculpta) edita a Grutero *in Corpore Inscript. p. 133. & seqq.* in quibus kalendariis octo literae, uae **ABCDEFGHI**. continue recurrunt, atque singuli orbis *harum octo literarum singulas nundinas* indicant, ita ut prior cujuscunque orbis litera (A) semper *diem nundinalem* ostendat, atque adeo tunc *septem insequentes literae, dies intermedios, sive rusticos* demonstrent, & sic prior novi orbis litera rursus *diem nundinalem* indicet, quapropter, si inter *duos dies nundinales* dies octo interfuissent, kalendariis non octo, sed *novem* literae inscribi debuissent. Plura si quis *de his literis* scire desideret, evolvat Erycium Puteanum *de nund. Rom. Cap. 21.* quo capite etiam occurrit Hemerologium vetus Romanum, in cujus fronte reperiuntur *literae modo productae.*

### §. VI.

Quem in finem institutae sint *nundinae*, unusquisque facile percipiet, ad commodum scilicet & utilitatem societatis humanae: Quid autem societati humanae, immo & mercatoribus magis prodesse potest, quam quod den-  
tur



tur immunitates, atque vectigalium onera releventur? Vectigalia enim (plerisque in locis alioquin solvenda) mercatores a commercio adeo deterrere solent, ut se suaque commoda bene curantes nunquam fere suas merces venales nobis proponerent.

Hoc etenim privilegio dato, extranei, sub publicâ qua si tutelâ recepti, mercandi & lucrificandi gratiâ, proficiscuntur ad ea loca, quibus *nundinarum* celebrandarum jus, vel longâ consuetudine, vel Principis beneficio concessum est: Mercatura autem, si modo nimia & inmodica a mercatoribus absit lucrificandi cupido, multum utilitatis & commodi adfert societati humanae. Talem mercaturam etiam adpriobat Cic. *lib. I. de off. Cap. 42.* cum dicit. *Mercatura autem, si tenuis est, sordida putanda est, sin magna, & copiosa, multa undique adportans, multisque sine vanitate impertiens, non est admodum vituperanda; atque etiam, si satiata quaestu, vel contenta potius, ut saepe ex alto in portum, sic ex ipso portu se in agros possessionesque contulerit, videtur jure optimo posse laudari.* Ex hoc autem Ciceronis loco, meo quidem judicio, evidenter patet, omnia *copiosorum* commerciorum genera, nullo modo prohibenda, verum quidem summo & optimo jure laudanda esse.



## §. VII.

Antequam vero ulterius pergamus, & ad institutum nostrum propius accedamus, nonnullas dissentientium opiniones, utrum *nundinae feriae* fuerint, *an non*, in medium proferre haud alienum duxi, ut eo melius rem, quoad ejus fieri poterit, penitus cognoscamus.

Inter eos, qui *has* ferias dixerunt, summo jure referendi sunt Macrobius, qui *lib. I. Saturn. Cap. 16.* cum Julio Caesare (*lib. XVI. ausp.*) *nundinas ferias* fuisse adfirmare videtur, cum scribit: *Nundinis concionem advocari non posse, i. e. cum populo agi, ideoque nundinis Romanorum, comitia haberi non posse* Festus, cujus verba haec sunt. *Nundinas feriarum diem esse voluerunt antiqui, ut rustici convenirent mercandi vendendique causâ, eumque nefastum, ne si liceret cum populo agi interpellarentur nudinatores.* Nec non Rosinus, qui *lib. IV. Antiq. Rom. Cap. 3.* *nundinas ad publicarum feriarum* genus refert. Ex his itaque locis luce meridiana clarius jam patet, *nundinas* inter *feriarum* genera relatas, nec immerito *vacationes forenses* fuisse appellatas.

## §. VIII.



## §. VIII.

Licet omnia, quae *Spbo* praecedenti differuimus, revera ita esse videantur, tamen non minoris momenti est, quod negantes objiciunt, inter quos Trebatius, qui *lib. I. Religion.* sic scribit, *nundinis magistratum posse manu mittere, judiciaque addicere* (quod tamen feriis non licebat) nec non Macrobius, qui, licet *lib. I. Saturn. Cap. 16.* cum Julio Caesare *nundinas ferias* esse adfirmet, tamen paullo post (eodem *Cap. 16.*) *nundinas ferias esse, negari posse*, tradit, cum inquit, *Titus nundinarum dies, non inter ferias retulit, sed tantum solennes vocavit.* Ex quibus itaque dictis satis concludere licet, *nundinas* aequae ad *fastos*, ac ad *nefastos* dies fuisse relatas. Verum utrum haec an illa nobis magis placeat sententia, an vero utraque, in sequentibus videre jam non inutile erit.

## §. IX.

Licet binae illae sententiae, de quibus in praecedentibus §§. pauca jam in medium produximus, toto coelo



inter se differre videantur, tamen eas in concordiam reducere haud difficile erit, si modo attendamus ad duo tempora, ad tempora scil. *ante & post Legem Hortensiam*: Antiquissimis enim temporibus, *ante Legem nempe Hortensiam*, ad mercatum legesque accipiendas, *diebus nundinalibus*, sive *ipsis nundinis*, in urbem convenire solebant rustici, non vero ad *lites movendas*, quod (si modo *nundinas Jovis ferias* fuisse dictas in memoriam revocemus) satis adparebit, iis temporibus nil publice agi licuisse, atque adeo *nundinas* tunc temporis ad dies *nefastos* pertinuisse. Si quis plura cupiat, adeat Festum loco (*supra alleg.*) Macrobius, Aliosque.

Posteriori vero tempore (latâ Scil. Lege Hortensia) *nundinalis dies* tum *fastus*, tum *nefastus* dicebatur secundum Ovid. *lib. I. fast. vs. 50.*

*Qui jam fastus erit, mane nefastus erat.*

Enimvero satis notum est, rusticanos homines, qui *nundinandi* ergo ex agris in urbem convenerant, post latam *Legem Hortensiam*, *lites* etiam *componere* potuisse vidd. Rosinus *lib. VIII. antiq. Rom. Cap. 1.* & Macrobius qui *lib. I. Saturn. Cap. 16.* (*toties citat.*) litigantium partes, lepidissime conciliat, cum inquit, *Nundinas,*

*qui*



qui ferias dicunt, a mendacio vindicantur patrocinio vetustatis, qui contra sentiunt aestimatu aetatis, quae LEGEM secuta est, vero depromunt.

Quare cum Macrobio, aliisque, etiam hujus seculi viris (inter quos clarissimus Christophorus Saxius praceptor meus, ad rogam usque colendus) eximiâ, in literis & antiquitate Romanâ, eruditione insignibus, statuere nullus dubito, *nundinas* (ante Legem Hortensiam) ad *nefastos* dies pertinuisse: atque adeo *ipsis nundinarum diebus* (pro vicissitudine temporum) *post Legem* scil. *judicia publica exerceri* omnino licuisse, minime vero *ante Legem*. Si quis plura desideret, legat Macrobius, aliosque antea laudatos. Hisce itaque missis, ordo rerum jam flagitat, ut, penes quem *nundinarum* concedendarum fuerit jus, in sequentibus videamus.

## §. X.

*Nundinarum* concedendarum jura olim ad senatum Romanum pertinuisse legimus apud Plin. *Lib. V. Epist. 5.*, cum inquit *folliers vir praetorius a senatu petiit, ut sibi instituere in agris nundinas permetteretur.*



## 14 DISSERTATIO ANTIQUARIO JURIDICA

Vidd. etiam, quae habet Pet. Greg. Tholosang *in Syn- tagm. Juris Univ. lib. XXV. Cap. 3. num. 4.* A con- sulibus etiam petita esse, testatur Suetonius *in vita Clau- dii Cap. 12.* conferatur & idem Tholosanus *loco modo cit.* Postea vero a solo Principe, sicuti videri potest ex *Legē 1. ff. de nund. & Legē Un. Cod. de nund. & mer- cat.* addatur & Groenewegen *de leg. abrog. ad legem. Un. Cod. de nund. & mercat.* Longā consuetudine etiam illa introducta fuisse, patet ex *leg. 1. ff. de nund.*

## §. XI.

Multa, immo varia *nundinarum* olim fuerunt jura ac privilegia; de eorum praecipuis, breviter tantummodo agemus. Optimum sane videtur privilegium *de non ad- mittendo arresto*, cujus hanc rationem reddunt eruditi, quod, ne *nundinarum tempore* commercia turbentur, negotiationesve impediuntur, neve extranei (qui a ple- risque commerciorum privilegiis excludi interdum so- lent) in totum sint remoti. Tale autem privilegium so- lummodo competebat mercatoribus, non vero aliis, qui (licet in locis, *nundinarum usui* destinatis, commo- rentur & habitent) nullam mercaturam exercent, nec  
mer-



merces venales exponunt, quare igitur nihil est, quod impedit, quo minus bona *illorum* (*nundinarum etiam tempore*) arrestari possint. Solis itaque mercatoribus hoc privilegium indultum esse evidenter adparebit, si modo inspiciamus *Leg. Un. Cod. de nund. & mercat.* quâ in lege ab Imperatoribus valente & valentio constitutum est, ne quis, durantibus *nundinis*, ullam *mercatoribus* inferret molestiam.

Illud autem privilegium, neminem fore arbitror, qui ad omnes omnino contractus, quos quisque *tempore Nundinarum* iniverit, extendat.

§. X I I.

Quibus illud *nundinarum* privilegium fuerit concessum, praecedenti *Spho* jam vidimus, sequitur nunc, ut de iis, qui hoc privilegio excluduntur, in sequentibus agamus.

A privilegio itaque *de non admittendo arresto* remonentur

- I. Qui ante *nundinarum* initium jam exclusi fuerant.
- II. Qui pacem publicam magis turbare, quam *nundinandi* ergo in urbem, vel *nundinarum* locum convenire



16 DISSERTATIO ANTIQUORIO JURIDICA

nire praesumuntur, atque adeo tales non aliter considerari queunt, quam qui gaudia, laetitiamque contaminantur sec. *Legem 3. de Episcop. audientia* &c. addatur & Peckius *de jure sistendi Cap. X. num. 7.*

III. Removentur, qui a creditoribus suis *nundinarum* loco jam antea fuere detenti; hi enim ob supervenientem *nundinarum* celebritatem remittendi non sunt, verum, ipsi quidem *nundinarum* tempore, de novo ab aliis etiam creditoribus (ut ita dicam) *commendari* sive arrestari possunt, ad eum quidem effectum, ne, (si priores creditores, qui illos *commendaverant*, eos laxent, vel saltem de eorum laxatione consentiant) dimittantur prius, quam & posterioribus creditoribus, qui in *ipsis nundinis* eos arrestaverant, etiam satisfecissent. Vidd. porro quae de hac re adnotavit Bort *de arrestis.*

IV. Excluduntur a *nundinarum* privilegiis, qui, convasatis fraudulenter rebus, foro cesserunt; hujusmodi enim homines universae societatis humanae tanquam inimici summo jure considerari possunt, atque ad adeo nullo privilegiorum genere digni censendi amplius videntur.

V. Removentur etiam, qui *nundinarum* nomine adversus communem utilitatem quid acceperunt; in eos enim,



enim, ne exceptis quidem *nundinis*, jus dici potest sec.  
*Leg. 3. §. 2. ff. de feriis & dilat.*

VI. Uti ab aliis Principalibus beneficiis, sic & ab hoc privilegio excluduntur criminum rei, quique ob delicta ad publicam poenam sunt condemnati; hi enim, si vel ante, siue post *nundinarum* tempus, siue *ipsis nundinis* deliquerint, omni prorsus securitate carent. Vidd. Voet. *ad tit. ff. de nundinis* & Zoelsius *eodem.*

VII. Neque hoc privilegio digni censentur *exules*, siue a loco, cui *nundinarum* jus concessum est, *relegati* secund. Peck. *de jure sistende Cap. X. num. 7.* Hujusmodi enim homines, tanquam hostes civitatis considerati, nulla amplius immunitate, nullove civitatis privilegio uti queunt.

VIII. Qui in totum *nundinarum* privilegio renunciarunt, hoc immunitatis jure destituti esse videntur, etenim, quamvis hoc privilegium veteres Romani, in favorem publicum induxerint, ob renunciationem ipsius, summo quidem jure, hoc privilegio indignus censetur renuncians: Verum, utrum renunciatio illius privilegii heredibus renunciantis obfit an non, Jcti maximopere dissentiunt: sunt nempe, qui per *leg. 37. ff. de acquir. vel omitt. hered.* ostendere conantur, renunciationem privilegii illius obesse heredibus renunciantis,



antis, eo, quod *heredes in omne jus defuncti succedere* dicatur; nec non per *leg. 59. ff. de reg. Juris* vel, quod *heres ejusdem, ac defunctus, potestatis jurisque sit.* Ob-  
 jicientes vero per *leg. 3. §. 1. ff. de censibus* contrariam defendunt sententiam, dicentes, *immunitatem personae datam cum persona semper extinguere.* Quid autem aliud est *nundinarum illud privilegium*, quam *immunitas personae data*? Quomodo itaque renunciatio talis immunitatis heredibus renunciantis obesse poterit, cum statim post mortem illius (utrum usus sit, nec ne perinde est) cui haec immunitas fuerat concessa, extinguatur, atque plane inutilis fiat. De hac quaestione pluribus egerunt Voet *ad tit. ff. de jure Immunit. & ad tit. de nund.* nec non Peckius *de jure Sistendi Cap. XIII.*

## §. XII.

Aliam adhuc removendi causam statuunt nonnulli in *fugitivis* scil., sive *de fuga admodum suspectis*, sicuti Mevius *de arrestis Cap. II. num. 7.* qui ostendere conatus est, *fugitivos* sive *de fuga admodum suspectos* ipso *nundinarum* tempore arrestari ac detineri posse; enim vero *fugitivorum* sive *de fuga admodum suspectorum* detentio eatenus modo admittenda videtur, quatenus detineri solummodo possint illi, qui *nundinarum* loco commo-  
 rantur



rantur, sive in urbe, cui *nundinarum habendarum* jus fuerat concessum, habitant, non vero ii, qui modo *nundinandi* causa eo convenerant; nam si id in omnibus procederet, tunc subito *totum privilegium* irritum fieret, ac plane evanesceret. Vidd. porro, quae de hac disput. habeat Voet. *ad tit. ff. de nundinis*. Quatenam autem immunitates mercatoribus amplius sint concessae, omnino videri possunt ex *Lege Unica Cod. de nund. & mercat.*

§. XIV.

*Nundinis impetratis a Principe non utendo, qui meruit, decennii tempore usum amittit* sec. leg. 1. ff. de nund. Videantur Cujacius *tractu de praescript. temporum* & A. Perezus *in praelect. ad tit. Cod. de nund. & mercat.* Ubi sic scribit, *privilegium impetratum a Principe amitti, eo non utendo per decennium, si modo probatum sit, quod impetrans potuerit privilegio uti intra decennium, & usus non fuerit, quia tunc tacite renunciaffe censetur.* Enim vero sicuti supra jam diximus, privilegii renunciatio immunitate illius amplius gaudere non meretur, atque adeo is, qui intra decennium tali privilegio non fuerit usus, tacite etiam renunciaffe censetur, cujus ergo consequens est, ut usum illius privilegii jure meritoque



amittat; *nundinarum* enim usus, si omittatur per decennium, ipso jure civili tanquam inutilis extinguitur. Vid. Pet. Greg. Tholosanus *in Syntagm. Juris Universi lib. XXV. Cap. 3. num. 1.* Sciendum enim est, quando privilegium in *faciendo*, vel *utendo* consistit, pro regula tradi, *tale privilegium* (quo alicui *faciendi* vel *utendi* facultas fuerit concessa) *per decem annorum spatium*, non *faciendo* vel non *utendo* semper amitti vid. toties allegata *lex. 1. ff. de nund.* Secus vero est, si quis, urgente necessitate, eo uti prohibitus fuerit, etiamsi ultra hominum memoriam non fuerat usus, si modo probatum sit, eum tali privilegio uti non potuisse: Ratio enim in promptu est, quod, ubi negligentia, aut alia quaelibet abest culpa, ibi poena adesse nequeat, sicuti colligere licet ex *leg. 25. ff. de servit. praed. rusticorum.*

En omnia, B. L., quae de *hac* materie in chartam conjeci! *Bona*, (si forsan reperiantur) maximis, quibus usus sum, viris tribuas; *mala* (quae procul dubio irrepperint) studiorum meorum tenuitati adscribas, supplex rogo.

Hoc Tuo favore subnixus hic pedem figo, atque, contractus velis, in portum me recipio.

T A N T U M.

QUAES-



# Q U E S T I O N E S.

I.

*Nundinae aequae ad fastos ac ad nefastos dies  
pertinuisse videntur.*

I I.

*Minor XXV. annis procurator ad litem esse  
potest.*

I I I.

*Beneficium legis 8. Cod. de revoc. donat. so-  
lummodo Patrono in libertum esse concessum,  
nullus dubito.*

I V.

*Minores (licet inviti) ad litem curatores acci-  
pere optimo jure cogi queunt.*

C 3

V.



V.  
Orator Cicero *omnis juris* (nostro quidem iudicio) *homo fuit peritissimus.*



PRAESTANTISSIMO

JUVENI

FRANCISCO ROOSEN,

*Cum ad summos in utroque Jure honores eveberetur.*



SOMNIUM.

**N**octis erat medium, fulgebant Aetheris ignes,  
Carpebat petulans otia grata pecus.  
Altus defessos somnus complectitur artus,  
Et fovet in placido languida membra sinu.  
Tempora somnifero permulcens tegmine Morpheus  
Adstitit, atque animo gaudia multa tulit.  
Docta virescenti cingentes tempora fronde  
Pierides vidi ducere rite choros.  
Quaelibet Aoniâ fundebat carmina vena,  
Carmina mortali vix referenda sono.  
Et vidi faciles adstantes undique Nymphas  
Mittentes placidos, ore favente, modos.  
Omnia dum miror, dum circum lumina volvo,  
En stesit ante oculos doctus Apollo meos.  
Non qua consuevit blandâ, sed fronte minaci,  
Hostili arripiens tela verenda manu.  
Cor tremit hoc visu, gelidusque per ima cucurrit  
Ossa tremor, toto pallor in ore fedet.  
Et postquam jussae vocem tenuere Camoenae,  
Crudeli tales edidit ore sonos.

„ Quae



„ Quae te segnities tardat desertor *Amici!*  
 „ Cum quo te Candor junxit & ipsa Fides  
 „ An tua sic implex Fallax! promissa favoris,  
 „ Quae tua jam dudum, perfida lingua dedit.  
 „ Eheu quo candor, quo fugit foedus amoris!  
 „ Proh pietas nullo pectore vera viget!  
 „ Undique festivis completur cantibus Aether,  
 „ Anne cubas *Pyladis* non memor usque *Tui?*  
 „ Si te dulcisono Musae non carmine flectunt,  
 „ Horrida sed regidum marmora pectus habet.  
 „ Te tamen (ut rumpas non prorsus foedera pacti)  
 „ Commoveat *Rosii* gloria laeta *Tui.*

Dixerat & trepidas vox haec mihi perculit aures,  
 Et sensi gelido membra timore quati.  
 Mox ego profilio, dum mens mihi conscia culpa,  
 Tali pulsavit tecta sonora sono.

„ Hei mihi quo fugiam, quo tendam perfidus? Eheu!  
 „ Perfidiam exprobat quaelibet ora mihi.  
 „ Duris deserui *constantem* in rebus *Amicum*,  
 „ Deserui *Rosium*, qui mihi portus erat.  
 „ Eheu! quid reputet de me, quid? tunc recedis?  
 „ Hoc cui promissum semper in ore fuit.  
 „ Diffugiant omnes, disrupto foedere, amici,  
 „ Ast mea non cedit vera tenaxque fides.  
 „ O mea quam fallax, quam mendax lingua fuisti,  
 „ Quam levis & brevis est impetus ille tuus!

Hinc forsan lacrymis nostris commotus Apollo  
 Dulcibus his pepulit taedia nostra sonis.

„ Si te poeniteat *Rosium* liquisse *fidelem*,  
 „ Moenia festino mox pete celsa pede.  
 „ In queis ridenti celebrat sollemnia vultu;  
 „ Et solvit Themidos thura Sabaea focis.

„ Vade



„ Vade repente tuum facinus, culpamque piato,  
 „ Et mora propositum nulla retardet iter.  
 Respiciens video rapidas post terga quadrigas,  
 Mox cadit ex animo cura dolorque meo.  
 Plaustra tacens supero cordis solatia nostri,  
 Frenaque cursuris aurea laxat equis.  
 Et (mirum dictu) rapido velocius Euro,  
 Ad Tua, Trajectum! moenia laeta feror.  
 Desilio compos voti, curruque relicto,  
 Ingredior portam non remorante pede.  
 Astreae petimus Themidosque sacra, quaeque  
 Dum resonant plausu laetitiaque viae.  
 Advenit interea studiosae ex flore juventae,  
 Magno concursu longius agmen ovans.  
 Praecedit Themidos, gesta pia liba. sacerdos  
 Cui cingit doctas infula sacra comas.  
 [Non aliter quondam magna comitante caterva,  
 Intravit Flamen templa superba jovis.]  
 Sisto gradum, sensimque mihi pia turba propinquat;  
 Detinet hinc oculos pompa decora meos.  
 Et dum per cunctos exacte lumina volvam,  
 Ductorem agnosco, *noster Amicus* erat.  
 Profilio visu subito permotus *Amici*,  
 Sed rupit medios lingua retenta sonos.  
 Circumdo tacitus fido mea bracchia collo,  
 Dum veros gemitus pectora nostra ferunt.  
 Ast nubes postquam discedere iussa dolorum est,  
 Incipio leni sic prior ore loqui.  
 „ Candida lux orta est, qua (nuper sorte repulsus)  
 „ Ingredieris Themidos structa facella Deae  
 „ Qua Tibi contingit flammis crepitantibus aris,  
 „ Virginis Astreae munera prima dare.

D

„ Gratu-



„ Gratulor ex animo, merito, quem, carpis, honore  
„ Omne felici fit precor ille *Tibi*.  
„ Quam fueris nactus, spartam exornato colendam,  
„ Hinc decus, hinc meritis surgere pergat honos.  
„ Sis portus viduis, orbisque parentibus ara,  
„ Omnibus arx miseris, ancora sacra bonis  
„ Sic Tua complebit virtus pia vota Themistos  
„ Et post fata diu laude superstes eris.  
„ Omnibus ..... Hic longam rumpo terrore quietem  
Et video, Aurorâ jam redeunte, diem  
Somnia mirabar, palmasque ad sidera tendens,  
Aeternum veneror corde precante Deum.  
„ Omnipotens *Rosii* generosis adnue coeptis  
„ Ad crescat titulo gloria prima novo.

*Symb.*

*Amor Fundamentum.*

TER



TER BEVORDERINGE

V A N

DEN WELEDELEN HEERE

FRANCOIS ROOSEN,

*tot Meester der beide Rechten.*



**D**aar stapt, mijn braave Vriend, naar Themis tempelzaalen!  
Daar volgt Hij reeds het spoor van 't blijde Zangren tal,  
Nu zal Hij de eere-kroon voor vlijt en zweet behaalen?  
Wel aan, ik voeg mij stil bij 't juichend feestgeschal!  
En druk mijn snaartuig, schoon met onbedreven vingren,  
De vriendschap eischt een pligt, die 't hart, geen kunst, waardeert  
Ik zal het letterloof om zynen schedel slingren,  
Terwijl Hem Pallas met den groenen lauwer eert.  
't Gaat wel, een bloemtapijt ontloikt met geur en kleuren,  
Waar Hij zijn treden zet! — Wij naadren reeds 't gebouw  
Aan Themis toegewijd — daar Billijkheid de deuren,  
Als Priesteres bewaakt, met onbesmette Trouw,  
Die Haar sneeu-witte hand Hem toerijkt op den drempel,  
Ei zie — daar leidt Zij de Eer van Utrechts jonglingschap!  
Terwijl Hem Themis stoet reeds opwagt in den tempel —  
Hij nadert — welk een vreugd! — wat galmend handgeklap!



Hier pinkt mijn Zangsters oog op al de schitteringen,  
Een deftig sierfel zet de wanden luister bij,  
De diamant gloeit hier met zuivre wateringen,  
En geeft zijn glansfen aan de beelden op een rei,  
Naar orde juist geplaatst, die uit albast geklonken,  
Den roest des tyds ontrukkt, als Themis heilig zaad,  
En aan heur borst gevoed met eer lauwrieren pronken  
Terwijl mijn' Zangeres haar vluchtige oogen slaat  
Op al dit Helden Choor, hoort zij het offer knappen  
Van wierook uit het Recht, en de oudheid zaamgegaard,  
Die nu mijn wakkre vriend met andre wetenschappen  
Door zweet, en nijvre vlijt op 't Outer heeft geschaard.  
't Gaat wel! de zuivre rook zie 'k reeds naar boven klimmen  
En midden in deez zaal een elpenbeenen troon,  
Wiens trappen en gestigt van Hemel-luister glimmen  
Het geen de Rechtgodin van ouds koos tot haar woon:  
Heur deftig wezen, dat met vriendelijke trekken  
Een glans verspreidt door 't ruim der schoone tempelzaal  
Kan de aaudagt van elk een naar haare daaden wekken,  
En ieder staat verrukt op haar vergoode taal,  
Terwijl zij oprijst, om mijn vriend dus aan te spreken.  
„ Zijt welkom, wakkre zoon! ô roem van mijn geslacht!  
„ Zie daar den lauwerkran; 'tis mij genoeg gebleeken,  
„ Dat Gij mijn' wetten, en bevelen niet veracht;  
„ Maar dat Gij als een zuil mijn Rechtgebouw wilt schraagen  
„ Dus moet Gij, gaat Gij voort op 't regte deugden pad,  
„ Ten spijt der vaale nijd, mijn vriendschaps teken draagen  
„ Staa pal, dat nooit bedrog U in haare armen vatt';  
„ Dat



„ Dat nooit de geldzulgt **U** in haare web mag spinnen  
 „ Bepleit, de goede zaak, wijz 't onrecht van de hand;  
 „ Laat waarheids liefde 't steeds van al uw daaden winnen;  
 „ Zijt weeuw, en weez ten nut, en 't dierbaar vaderland,  
 „ Zo de ijver voor mijne eer, en naam u blijft bezielen,  
 „ En Gij der onschuld redt, dan wordt uw goede naam  
 „ Met al mijn Priestren rei, die voor mijn altaar knielen,  
 „ Den aardbol omgevoerd op wieken van de Faam,  
 „ Dan zullen, edel puik dan al mijn voedsterzoonen!  
 „ Die u van jongs af aan mijn dienst hebt toegewyd,  
 „ De waare lof en eer u met haar palmen kroonen,  
 „ Dan sterven nimmermeer de roosen van uw vlyt!  
 Hier zweeg zij: en 't geluid van 't vrolijk handenklappen,  
 Bij 't juichend Jö dooft op 't onverwagst mijn snaar,  
 En door het Feest gedrang naak ik de tempeltrappen,  
 Eer ik mij zelven in dien aandrang word gewaar.  
 Dan 'k wagt; en zie mijn vriend eerst uit den tempel leiden,  
 Met d' eerekrans versiert, en meestertabbaard aan  
 Hij nadert — 'k wil nu ook niet langer meer verbeiden,  
 Maar dezen letterkrans om zynen schedel slaan.  
 Zijt welkom, Themis Zoon! ô roem van al mijn vrinden!  
 Geluk met 't Meesterschap! ontvang dit tot een pand,  
 Dat zich mijn hart aan u door vriendschap wil verbinden,  
 Dat alle vlyery, en looze trouw verband,  
 Vermeer uw waar geluk, door Hem voor al te vreezen,  
 Die eer en aanzien geeft, ja 't leven aan ous schenkt,  
 Laat Hem alleen het wit van al uw daaden wezen,  
 Vertrouw, dat Hy dan ook aan uwe jeugd gedenkt.

Leef



Leef steeds getrouw mijn vriend ! waar 't lot ons ook mag d ryven,  
Daar men 't gezellig zoet van de omgang niet meer smaakt  
De vriendschapsband kan toch wel ongeschonden blijven,  
Zo men door letteren die koorden vaster maakt.  
Vaarwel ! gedenk aan Hem, die U steeds zal gedenken,  
Laat nimmer tegenspoed uw frissen welvaard krenken.

LODEWYK KNOOPS,

S. S. Theol. Stud.



## E M E N D A N D A

Pag. 4	Reg. 16	pro	<i>servii</i>		legatur	<i>Servii</i>
— 8	— 4	—	<i>ua</i>	—	—	<i>ut</i>
— 9	— 13	—	<i>adpriobat</i>	—	—	<i>adprobat</i>
— 11	— 10	—	<i>retulit</i>	—	—	<i>retulit</i>
— 15	— 6	—	<i>valente</i>	—	—	<i>Valente</i>
			&			&
			<i>valentio</i>			<i>Valentio</i>
— 15	— 12	—	<i>fuerit</i>	—	—	<i>fuerit</i>
— 16	— 20	—	<i>ad adeo</i>	—	—	<i>adeo</i>
— 17	— 11	—	<i>sistende</i>	—	—	<i>sistendi</i>
— 17	— 21	—	<i>nou</i>	—	—	<i>non</i>
— 20	— 4	—	<i>Cvp.</i>	—	—	<i>Cap.</i>

Quae porro oculo subreperint, Benevolus Lector, Pro suo  
arbitrio, corrigat, supplicissimus rogo.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

EMENDANDA

ALFRED W. BROWN

10	10	10	10	10	10	10	10	10	10
10	10	10	10	10	10	10	10	10	10
10	10	10	10	10	10	10	10	10	10
10	10	10	10	10	10	10	10	10	10
10	10	10	10	10	10	10	10	10	10
10	10	10	10	10	10	10	10	10	10
10	10	10	10	10	10	10	10	10	10
10	10	10	10	10	10	10	10	10	10
10	10	10	10	10	10	10	10	10	10
10	10	10	10	10	10	10	10	10	10

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

ALFRED W. BROWN